



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Exemplorum Libri Tres

Liber Secundus, Siue Exempla, In Septem Capitalium Vitiarum
Detestationem, Per Quadragesimam, Anno M. DC. XLVI. narrata

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1650

§. 13. Deus vel hostem suum Alfonsum monens.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48186](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48186)

rens, utpote mendicus etiam ab Angelis eò est portatus, facilem habuit sine sarcinis ingressum. Hanc ob causam tot insignes ingenio, nobilitate, diuitijs iuuenes, abiectis vestibus pretiosis, sacco induerunt, & relictis diuitiarum impedimentis, per angustam coeli portam, nudi atque omnibus oneribus liberi intrare maluerunt, quàm cum lato clauo, bullati, & torquati, & chlamydati, mitti in gehennam. Qui fructus est timoris.

XIII.
DEVS VEL
HOSTEM SVVM
ALFONSVM
MONENS.

S. Augustin.
de catechi-
zant, rudi-
bus.

Sed longè maior fructus est amoris. Quid enim non velle facere par est hominem, qui vel micam in se habet rationis, si videat, Deum etiam istos ipsos humanos Luciferos, à quibus tam proteruè contemnitur, superbè ridetur, & quodammodo potestate sua auctoritateque plusquam sacrilegè priuatur, adhuc non contemnere, neque deserere, sed ad pœnitentiam vocare, & inuitare? *Magna est miseria superbus homo*, ait S. Augustinus, *sed maior misericordia humilis Deus*. Audite, quid *Alfonso* tam sacrilegè impio acciderit. Miles erat, in aula regis, *Petrus Martini de Pampliega*. Hic, præter communem militum morem, ita modestus in verbis: in opere castus: in poculis temperans, in colendo Deo frequens, ab omni blasphemia & rapina abstinens erat, ut in castris facere id, quod Religiosi in claustris, diceretur. Ob hos mores è militiâ euocatus est ad aulam, & curam Infantis Manuelis gerendam, cuius instructor fuit adeò eximius, ut eum linguâ & vitâ, doctrinâ & moribus erudiret, neque ob indulgentiâ socordiam Dei iudicium timeret. Huic ergo aliquando dormienti, iuuenis cœlestis elegantia apparuit, cuius vestis non calcata niue candidior, & vultus ipso splendidior Hespero, nocturnas tenebras clarissimè illustrauerat. Hic iuuenis coram assistens ei dixit: *latam esse, in diuino consistorio, contra regem Alfonsum, sententiam, ut exheredatus moriatur, sed & crudeli morte, nisi pœniteat*. Exterritus hoc viso & dicto miles causam quæsiuit: cui Angelus respondit, *blasphemiam Alfonsi, vanamq; temeritatem diuina opera corrigere molientis id meruisse*. Et mandatum adiecit, *ut ad regem accederet, eumq; ad pœnitentiam hortaretur*.

XIV.
IMMENSE DEI
MISERICOR-
DIA.

Intelligitis, quanta sit bonitas Dei, in flagitiosissimis etiam peccatoribus ad pœnitentiam vocandis? Vix credere potest tantam Dei patientiam, qui nescit quanta sit eius erga homines dilectio. *Incredibilis est vis amoris, si potentia coniungatur*, ait S. Gregorius

Nazianze-